

De formis verborum,

quae a scriptoribus Romanorum explicantur enuntiationibus secundariis, in quibus coniunctivi reliquorum temporum positi sunt pro coniunctivis futuri primi aut exacti,
scripsit Dr. A. Jerzykowski.

Cum anno ante praefaturus annalibus Gymnasii nostri, quod a St. Mar. Magdalena nomen ductum habet, de literarum Graecarum studiis, quae in nostris regionibus olim vigerunt, copiosius explicare essem ingressus et vix parvam disputationis partem confecissem, subito mala oculorum valetudine prohibitus sum, quominus rem inchoatam continuarem et quae reliqua essent persequerer. Quae oculorum valetudo quamquam compluribus mensibus interiectis adeo melior esset facta, ut mihi viderer commode posse et legere et scribere atque in spem venissem me rem intermissam uno tenore peracturum esse, tamen medico praecipiente, ut cautione adhibita quam possem maxima oculis parcerem neve maiorem operam, quam officii munus exigeret, darem legendo et scribendo, non sine dolore parere et oboedire coactus manum de tabula sustuli et quaestione illa de literarum Graecarum studiis, quae latius pateret, in aliud tempus dilata scriptionem angustioribus finibus circumscriptam publici iuris facere constitui.

Etenim explananti mihi leges grammaticas linguae Latinae cum alii loci occurrebant, qui nondum ab omni parte considerati et satis copiose explicati, aut extra omnem dubitationem positi, tum ille locus, quo tractari solet coniunctivus modus temporum futurorum, minime satisfacere videbatur et dignus esse, in quo dedita opera separatim elaborarem. Omnes quod sciam grammatici docent coniunctivum futurorum temporum tum exprimi per coniunctivum reliquorum temporum cum adhibeantur ad explicandas enuntiationes, quarum verba posita sint in infinitivo futuri aut coniunctivo huius temporis, expresso per coniunctivum coniugationis, quae dicitur periphrastica. Veluti legimus apud Cic. Rose. Am. 44 Sex. Roscius facile egestatem suam se laturum putat, si hac indigna suspitione et ficto crimine liberatus sit. Tuscl. I, 48 Oraculum erat datum, si rex interfectus esset, victrices Athenas fore. Philipp. IX, 4 De Rosciorum audacia tum me diciturum polliceor, cum Erucii crimina diluerim. Marcellus, si Syracusas cepisset, duo templa se Romae dedicaturum voverat. Caes. Bell. Gal. I, 17 Liscus non dubitat quin, si Helvetios

superaverint Romani, Aeduis libertatem sint erepturi. VII, 66 Vercingetorix convocatis ad concilium praefectis equitum demonstrat, Si pedites suis auxilium ferant atque in eo morentur, iter confici non posse, relictis impedimentis suae salutis consulant, et usu rerum necessariorum et dignitate spoliatum iri. Cic. de Divin. II, 9 An Cn. Pompeium censes tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria laetaturum fuisse, si scisset se in solitudine Aegyptiorum trucidatum iri amisso exercitu (quum amissus esset exercitus). Ibid. I, 16 Non igitur obnuntiatio Ateii causam finxit calamitatis, sed signo obiecto monuit Crassum, quid eventurum esset, nisi cavisset. pro Leg. Manl. Qui cum ex vobis, quaereret, si in uno Cn. Pompeio omnia poneretis, si quid (de) eo factum esset, in quo spem essetis habituri; cepit magnum suae virtutis fructum ac dignitatis, cum omnes una prope voce, in eo ipso vos spem habituros esse“ dixistis. — Pro infinitivo futuri uti scriptores Romanos interdum etiam infinitivo perfecti temporis docet Liv. VIII, 30, 11 Misso itaque repente senatu (dictator) se ex curia proripuit maiestatem dictatoriam et disciplinam militarem a magistro equitum victam et eversam (= victum et eversum iri) dictitans, si ille impune spreto imperium fuisset.

Eadem ratione exprimuntur in enuntiationibus secundariis coniunctivi futurorum temporum, cum referuntur ad sententias, in quibus actiones futurae neque infinitivo futuri neque coniunctivo coniugationis periphrasticae, sed aliis modis significantur, qui forma ab illis differunt, vi ac potestate non differunt, ita ut exoriat verborum constructio, quae ad sensum dicitur, cuius rationem et usum in Romanorum et Graecorum lingua latissime patere constat.

1. Ex eo numero sunt enunciata, quae cum significant consilium, quod semper ad futurum tempus spectat, coniunctione finali ut, aut alia, quae eandem habent significationem, veluti ne, quo, quin, quominus, sententiae primariae adiunguntur. Cuius generis exempla inveniuntur permulta apud scriptores, ex quibus satis erit haec afferre: Cic. Fam. XII, 14 Interim cognovi id Dolabellam ea mente comparasse, ut, si Syriae spes eum frustrata esset, conscenderet in naves et Italiam peteret. XVI, 12 Delectus enim magnos habebamus putabamusque illum metuere, si ad urbem ire coepisset, ne Gallias amitteret. V, 17 De tuo autem filio vereor ne, si nihil ad te scripserim debitum eius virtuti videar testimonium dedisse; sin autem omnia quae sentio perscripserim, ne refricem meis literis desiderium ac dolorem tuum. III, 6 Itaque virum fortem Antonium misi ad te, cui (= ut ei), si videretur, cohortes traderes. de Senect. 13 Quod ex eo audientes M. Curium et Ti. Coruncanium optare solitos (esse audivi), ut id Samnitibus ipsique Pyrrho persuaderetur, quo facilius vinci possent, cum se voluptatibus dedissent. de Amic. 21 Primum danda opera est, ne qua amicorum discidia fiant; sin tale aliquid evenit, ut extinctae potius amicitiae quam oppressae esse videantur. Philipp. I, 3 Veritus sum, ne meus repentinus ad meos necessarios adventus suspicionis aliquid afferret, si essem commoratus. pro Rosc. Am. 3 Si praeter eam praedam, quam dixi, quidquam aliud causae inveneritis, non recusamus quin illorum libidini Sex. Roscii vita dedatur. Ibid. 25 Maiores nostri supplicium in parricidas singulare excogitaverunt, ut, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, magnitudine poenae a maleficio summoventur. Caes.

Bell. G. I, 22 Erat ei (Labieno) praeceptum a Caesare, ne proelium committeret, nisi ipsius copiae prope hostium castra visae essent. *Ibid.* I, 37 Caesar maturandum sibi existimavit, ne, si nova manus Suevorum cum veteribus copiis Ariovisti sese coniunxisset, minus facile resisti posset. *ibid.* II, 8 Caesar . . . ad extremas fossas castella constituit ibique tormenta collocavit, ne, cum aciem instruxisset, hostes, quod tantum multitudine poterant, ab lateribus pugnantibus suos circumvenire possent. V, 6 Dumnorix principes Galliae sollicitare . . . iusiurandum poscere, ut, quod esse ex usu Galliae intellexissent, communi consilio administrarent. *ibid.* VI, 1 Caesar . . . dilectum habere instituit . . ., magni interesse ad opinionem Galliae existimans tantas videri Italiae facultates, ut, si quid esset in bello detrimenti acceptum, non modo id brevi tempore sarciri, sed etiam maioribus augeri copiis posset. *ibid.* VII, 66 Conclamant equites sanctissimo iureiurando confirmari oportere, ne tecto recipiatur, ne ad liberos, ne ad parentes, ne ad uxorem aditum habeat, qui non bis per agmen hostium peregritarit, *ibid.* II, 17 Nervii, . . . quo facilius finitimorum equitatum, si praedandi causa ad eos venisset, impedirent, teneris arboribus incisis . . . effecerant, ut instar muri hae sepes munimenta praeberent. Liv. VIII, 23 Itaque cum et dies comitiorum instaret et Publium imminentem hostium muris avocari a spe capiendae in dies urbis haud e republica esset; actum cum tribunis est, ad populum ferrent, ut, cum Publius Philo consulatu abisset, pro consule rem gereret, quoad debellatum cum Graecis esset. *ibid.* VIII, 25 Charilaus . . . tradere se ait moenia statuisset; sibi privatim nec pacisci quidquam nec petere, publice petere quam pacisci magis, ut, si successisset inceptum, cogitaret populus Romanus, cum quanto studio periculoque reditum in amicitiam suam esset. XXI, 12 Postulabatur, ut (Saguntini) egressi urbe ibi habitarent, ubi Poenus iussisset. VIII, 28 Jussi (sunt) consules ferre ad populum, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur. Nep. II, 7 Cum his (tribus legatis) collegas suos Themistocles iussit proficisci iisque praedixit, ut ne prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent, quam ipse esset remissus. V, 4 Semper eum (Cimonem) pedisequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis eius indigeret, haberet quod statim daret. *ibid.* Quotidie sic coena ei (Cimoni) coquebatur, ut, quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret. Curt. IV, 3 Hephaestioni permissum (est), ut, quem eo fastigio Sidonis dignissimum arbitraretur, constitueret regem.

2. Eandem fere significationem habent coniunctivi, qui in oratione obliqua imperativorum locum tenent, veluti apud Caes. Bell. G. I, 13 Is (Divico) ita cum Caesare agit: Si pacem populus Romanus cum Helvetiis faceret, in eam partem ituros atque ibi futuros Helvetios, ubi Caesar constituisset atque esse voluisset; sin bello persequi perseveraret, reminisceretur et veteris incommodi populi Romani et pristinae virtutis Helvetiorum. IV, 11 Interim ad praefectos, qui cum omni equitatu antecesserant, mittit (Caesar) qui nuntiarent, ne hostes proelio lacerarent et, si ipsi lacerarentur, sustinerent, quoad ipse cum exercitu propius accessisset. V, 46 (Caesar) scribit Labieno, si reipublicae commodo facere possit, cum legione ad fines Nerviorum veniat. V, 41 Cicero ad haec unum modo respondit non esse consuetudinem populi Romani accipere ab hoste armato condicionem: si ab armis discedere velint, se adiutore utantur legatosque ad Caesarem mittant.

3. Pro coniunctivo modo, quo scriptores ad significandum consilium utuntur, invenimus interdum, sed omnino perraro, participium futuri activi, veluti apud Livium lib. XXIII, cap. 14 Hannibal Capua recepta in agrum Nolanum exercitum traducit, ut non hostiliter statim, quia non desperabat voluntariam deditionem, ita, si morarentur spem, nihil eorum, quae pati aut timere possent, praetermissurus.

4. Sequuntur loci, in quibus pro infinitivo futuri et coniunctivo coniugationis periphrasticae adhibiti sunt gerundivi modi, qui significatione sua ad illas verborum formas proxime accedunt. Sic legimus apud Ciceronem Philipp. IX, 1 Qui (Servilius) hunc honorem statuae numini tribuendam (esse) censuit, nisi qui ferro esset in legatione interfectus. de Divin. II, 9 Marione Crasso putas utile fuisse tum, cum maximis opibus fortunisque florebat, scire sibi interfecto Publio filio exercituque deleto (cum interfectus esset P. filius exercitusque deletus) trans Euphratem cum ignominia et dedecore esse pereundum? ibd I, 18 Tib. Gracchus duobus anguibus domi comprehensis haruspices convocavit. Qui cum respondissent, si marem emisisset, uxori brevi tempore esse moriendum, si feminam, ipsi, feminam emisit et paucis post diebus est mortuus. Caes. Bell. G. II, 11 Quibus rebus adductus Caesar non expectandum sibi statuit, dum omnibus fortunis sociorum consumptis in Santones Helvetii pervenirent. VI, 5 Haec prius illi detrahenda (esse) auxilia existimabat, quam ipsum bello lacesseret. VIII, 55 Caesar omnia patienda esse statuit, quoad sibi spes aliqua relinqueretur iure potius disceptandi quam belli gerendi. Liv. XXIII. 25 Ti. Sempronius senatum habuit consolatusque patres est et adhortatus, ne . . animos submitterent . . De hoste Poeno exercitibusque, per quos id bellum gereretur, consultandum atque agitandum (esse). Nep. VII, 4 Inimici enim eius (Alcibiadis) . . illud tempus expectandum esse decreverunt, quo exisset. II, 8 Sensit Themistocles, si eo (Naxum) pervenisset, sibi esse pereundum. Cic. Nat. D. I, 34 Non enim sentitis, quam multa nobis suscipienda sint, si impetrarit, ut concedamus eandem esse hominum et deorum figuram. Cic. Famil. XII, 22 Senatus frequens mihi est assensus cum de ceteris rebus, tum de provinciis ab iis, qui obtinerent, retinendis neque cuiquam tradendis, nisi qui ex senatus consulto successisset. Caes. Bell. G. V, 29 Contra ea Titurius sero facturos clamitabat, cum maiores hostium manus adiunctis Germanis convenissent, aut, cum aliquid calamitatis in proximis hibernis esset acceptum, brevem consulendi esse occasionem. Liv. XXXIV, 11 Eo legati tres ab Ilergetum regulo venerunt querentes castella sua oppugnari nec spem ullam esse resistendi, nisi praesidium Romani amisissent. Cic. Philipp. IX, 7 Censeo senatui placere, ut C. Pansa, A. Hirtius consules, alter ambove, si eis videatur, quaestoribus urbanis imperent, ut (Ser. Sulpicio) statuam faciendam et in rostris statuendam locent, quantique locaverint, tantam pecuniam attribuendam solvendamque curent. Caes. Bell. G. I, 18 Caesar reperit . . Si quid accidat Romanis, summam in spem per Helvetios regni obtinendi venire (Dumnorigem). IV, 34 Interim barbari . . , quanta praedae faciendae atque in perpetuum sui liberandi facultas daretur, si Romanos castris expulissent, demonstraverunt. Liv. XXXV, 26 Comparaverat et tyrannus modicam classem ad prohibenda, si qua obsessis mari submitterentur, praesidia.

5. Praeterea vicem formarum, de quibus agimus, obtinent saepenumero verba pollicendi promittendi, minandi, proponendi, vovendi, constituendi, decernendi, committendi, demonstrandi, renuntiandi aut negandi, sperandi, exspectandi, verendi, quibus adiuncto accusativo, qui dicitur obiecti, eadem vis ac potestas subiecta est atque illis, quae supra commemoravimus. Ex eo genere sunt haec exempla. Cic. Fam. XVI, 5 Xenomenes hospes omnia pollicitus est, quae tibi essent opus. Caes. Bell. G. IV, 19 Caesar . . iis (Ubiis) auxilium suum pollicitus, si ab Suevis opprimerentur, haec ab iis cognovit. Nep. II, 8 Themistocles hac necessitate coactus domino navis, qui sit, aperit multa pollicens, si se conservasset. Liv. XXXVII, 36 Legatus, ignarus animi Scipionis, auri pondus ingens est pollicitus et societatem omnis regni, si per eum pacem impetrasset. Just. V, 3 Ad quem (Alcibiadem) cum legati Atheniensium venissent, pollicetur his amicitiam regis, si respublica a populo translata ad senatum foret, V, 8 Cum multi urbem Atheniensium incendio consumendam censerent, negarunt se Spartani ex duobus Graeciae oculis alterum eruturos, pacem polliciti, si demissa Piraeum versus muri brachia deiicerent navesque, quae reliquae forent, traderent resque publica ex semet ipsis triginta rectores acciperet. Tac. Ann. II, 13 Unus hostium Latinae linguae sciens acto ad vallum equo voce magna . . sestertios centenos, si quis trausfugisset, Arminii nomine pollicetur. II, 88 Reperio apud scriptores eorundem temporum Adgandestrii, principis Cattorum, lectas in senatu literas, quibus mortem Arminii promittebat, si patrandae neci venenum mitteretur. I, 35 Tum vero (Germanicus), quasi scelere contaminaretur, praeceps tribunali desiluit; opposuerunt abeunti arma minitantes (scilicet vim, mortem), ni regrederetur. Cic. pro Planc. 40 Ego . . ex illo incendio bonorum omnium cedens, cum mea domus ardore suo deflagrationem urbi atque Italiae toti minaretur, nisi quievissem, Siciliam petivi animo, quae erat mihi coniuncta. Cic. de Finb. II, 17 Scipioni magna erat gloria proposita, si Hannibalem in Africam retraxisset. Tsch. V, 7 Nam Xerxes quidem, refertus omnibus praemiis donisque fortunae, non equitatu, non pedestribus copiis, non navium multitudine, non infinito pondere auri contentus, praemium proposuit (ei), qui invenisset novam voluptatem. Philpp. XI, 9 Cum consul designatus obsideatur . . et, si in potestatem quis Antonii venerit, proposita sint formenta atque cruciatus; Asiae et Syriae mentio fiet, ut aut suspicioni crimen, aut invidiae materiam dedisse videamur? Caes. Bell. G. V, 58 Labienus . . magna proponit iis, qui (Indutiomarum) occiderint, praemia. VII, 27 Caesar iis, qui primi murum ascendissent, praemia proposuit militibusque signum dedit. V, 40 Mittuntur ad Caesarem confestim ab Cicerone literae magnis propositis praemiis, si pertulissent. Liv. XXIII, 15 Deinde (Hannibal), ut qui a principio mitis omnibus Italicis praeter Romanos videri vellet, praemia atque honores, qui remanere ac militare secum voluissent, proposuit. XXXV, 18 Is (Alexander Acarnan) . . . victoriam se haud dubiam proponere animo affirmabat, si in Europam transisset rex et in aliqua Graeciae parte sedem bello cepisset. Liv. XXXI, 1 In hoc discrimine ludos Jovi, si vi fudisset cecidissetque hostes, propraetor vovit. XXXV, 21 Id ubi vidit praetor duas legiones ex subsidiis dextra laevaue alae, quae in prima acie pugnabat, circumdat

aedemque Jovi vovit, si eo die hostes fudisset. XXXII, 6 Valerius Antias intrasse saltum Villium tradit. . . Aedem etiam Jovi in eo proelio votam, si res prospere gesta esset. XXI, 21 Hannibal, cum recensisset omnium gentium auxilia, Gades profectus Herculi vota exsolvit novisque se obligat votis, si cetera prospera evenissent. Cic. pro Rosc. Am. 25 Solon, cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit se id neminem facturum putasse. Liv. XXIII, 25 Duae legiones urbanae alteri consuli, qui in locum L. Postumii suffectus esset, decretae sunt. XXIII, 32 M. Valerio praetori legiones, quae ex Sicilia redissent, decretae (sunt). Sall. Cat. 30 Ad hoc si quis indicavisset de coniuratione, quae contra rempublicam facta erat, praemium decrevere servo libertatem et sestertia centum, libero impunitatem eius rei et sestertia ducenta. Nep. XVIII, 2 Ex quo omnes coniecerant eum (Alexandrum) regnum ei (Perdiccae) commisisse, quoad liberi eius in suam tutelam pervenissent. Cic. pro Sest. 25 Latae sunt leges. . . consulibus approbantibus, ut. . . Gabinio pro illa sua Cilicia, quam sibi, si rempublicam prodidisset, pactus erat, Syria daretur. ad Famil. IX, 24 Spurinna quidam, cum ei rem demonstrassem et vitam tuam superiorem exposuissem, magnum periculum summae reipublicae demonstrabat, nisi ad superiorem consuetudinem tum, cum Favonius flaret, revertisses. Nep. VIII, 10 Societatem huic ergo renuntiat, quae regi cum Lacedaemoniis esset, nisi Alcibiadem vivum aut mortuum sibi tradidisset. Liv. VIII, 12 Qua cupiditate offensis patribus negantibusque, nisi Pedito capto aut dedito (= nisi Peditum captum aut deditum esset) triumphum, hinc abalienatus ab senatu Aemilius seditiosis tribunatibus similem deinde consulatum gessit. Sall. Cat. 37 Sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat. Liv. XXXV, 26 (Tyrannus) novarum navium agilitatem ut experiretur, provectos in altum quotidie exercebat in eo ratus spem obsidionis, si praesidia maritima interclusisset. Caes. Bell. G. III, 5 Cum res esset iam ad extremum perducta casum, P. Sextius Baculus et item C. Volusenus ad Galbam accurrunt atque unam esse spem salutis docent, si eruptione facta extremum auxilium experirentur. Just. XXXVIII, 4 Mithridates ait esse sibi victoriae fiduciam, si sit illis (militibus) animus. Caes. Bell. G. VII, 85 Galli, nisi perfregerint munitiones, de omni salute desperant (= omnem salutem desperant); Romani, si rem obtinuerint, finem laborum omnium expectant. VII, 34 Caesar cohortatus Aeduos. . . ut huic bello servirent eaque, quae meruissent, praemia ab se devicta Gallia expectarent, . . exercitum in duas partes divisit. IV, 13 Hoc facto proelio Caesar neque iam sibi legatos audiendos neque condiciones accipiendas arbitrabatur ab iis, qui. . . ultro bellum intulissent; expectare vero, dum hostium copiae auferentur equitatusque reverteretur (= reditum) summae dementiae esse indicabat. IV, 23 Hunc ad egrediendum nequaquam idoneum arbitratus locum, dum reliquae naves eo convenerint (= reliquarum navium conventum) ad horam novam in ancoris expectavit. VIII, 44 Caesar cum suam lenitatem omnibus cognitam sciret neque vereretur, ne quid crudelitate naturae videretur asperius fecisse, neque exitum consiliorum suorum animadverteret, si tali ratione diversis in locis plures rebellare consilia inissent, exemplo applicii deterrendos reliquos existimavit. VIII, 27 At Damnaeus adventu Fabii cognito de sperata

salute, si eodem tempore coactus esset et Romanorum externum sustinere hostem et respicere ac timere oppidanos, repente eo ex loco cum copiis recedit. V, 29 Contra ea Titurius clamitabat. . . suam sententiam in utramque partem esse tutam: si nihil esset durius, nullo periculo ad proximam legionem perventuros; si Gallia omnis cum Germanis consentiret, unam esse in celeritate positam salutem (= in cel. positam esse, ex cel. sperari). Liv. XLI, 23 Callicrates ex iis, qui in eo verti salutem (= positam esse) gentis crederent, si cum Romanis inviolatum foedus servaretur, Parva, inquit, etc. Cic. ad Fam. XII, 6 Tu velim sic existimes tibi que persuadeas omne perfugium bonorum in te et Bruto esse positum, si, quod nolim, adversi quid evenerit. Nep. XVII, 7 Eumenes invidiam verens, si potius ipse alienigena imperii potiretur, quam alii Macedonum, in principiis Alexandri nomine tabernaculum statuit. Caes. Bell. G. V, 5 Caesar, cum ipse abesset, motum Galliae verebatur. Liv. XXIII, 19 Marcellum, cupientem ferre auxilium obsessis, et Voltumnus annis inflatus aquis et preces Nolanorum atque Acerranorum Campanos timentium, si praesidium Romanum abscessisset. Sall. Jug. 25 Timebat iram senatus, ni paruisset legatis. Just. XI, 13 Rex magno se aestu liberatum ait somnumque sibi a repentina securitate datum, quod liceat cum omnibus Darii copiis configere; veritum se longam belli moram, si Persae exercitum divisissent. Cic. Catil. IV, 1 Video, patres conscripti, in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos: video vos non solum de vestro ac reipublicae, verum etiam, si id depulsum sit, de meo periculo esse sollicitos.

Cum plerisque verborum, quibus hoc capite adiunximus exempla, habet similitudinem etiam Graecorum scriptorum ratio. Sic legimus apud Xenoph. in Hell. III, 4, 1 *Τισσαφρόνης προείπεν Ἀργεῖα πόλεμον, εἰ μὴ ἀπίοι ἐκ τῆς Ἀσίας.* Cyrop. II, 1, 23 *Ἐπαρτείνοντο δὲ καὶ μείζονες ἐλπίδες τοῖς ἀξίως ἐπαίνου, εἴ τι ἐν τῷ ἐπιόντι χρόνῳ ἀγαθὸν μείζον φαίνοιτο.* ibd. II, 3, 2. *Ἦν δὲ ἡμεῖς αὐτὸν κωλύμεθα, καὶ οὕτω τὰ τῶν κωλύμενων ἀγαθὰ πάντα τοῖς κωλύουσιν ἀεὶ ἀθλὰ πρόκειται* II, 1, 24 *Προεῖπε δὲ κρητήρια καὶ ὅλας ταῖς τάξεσι καὶ ὅλας τοῖς λόχοις, εἴαν φαίνονται εὐπιστότατοι τοῖς ἀρχουσιν εἶναι.* Anab. V, 1 *Κίνδυνος (sc. ἐστὶ) πολλὸς ἀπὸ λλυσθαι, ἢν ἀμελῶς τε καὶ ἀσφύλακτως πορεύσθε (ἐπὶ τὰ ἐπιτήδεια).* In his et similibus exemplis coniunctivum praesentis in secundaria enuntiatione adiuncta particula *ἄν* eandem habere significationem atque Latinorum futurum primum, coniunctivum autem aoristi eadem particula addita eandem habere vim atque Latinorum futurum exactum inter omnes constat. Sed redeamus ad rem propositam.

6. Ad similitudinem verborum, quae proximo capite commemoravimus, accedunt nonnulla alia, quae cum infinitivo coniungi solent, veluti: iubeo, veto, constituo, cogito, studeo, cupio, volo, nolo, possum, nequeo, placet mihi, paratus sum. Sic legimus apud Caes. de Bell. G. III, 2 D. Brutum classi praefecit et, cum primum possit, in Venetos proficisci iubet. IV, 37 Morini (Romanos) circumsteterunt ac, si sese interfici nollent, arma ponere iusserunt. V, 7 Caesar magnam partem equitatus ad eum (Dumnorigem) insequendum mittit retrahique imperat; si vim faciat neque pareat, interfici iubet. V, 25 Ille (Caesar) . . . L. Plancum cum legione ex Belgio celeriter in Carnutes proficisci iubet ibique hiemare, quorumque opera cognoverit Tasgetium inter-

fectum, hos comprehensos ad se mittere. Liv. VIII, 20 Senatus Vitruvium in carcere asseruari iussit, quoad consul venisset, tum verberatum necari. XXIII, 11 Fabius Pictor dixit se iussum esse a templi antistite, sicut coronatus laurea corona oraculum adisset, ita coronatum navem ascendere nec ante deponere eam, quam Romam pervenisset. XXXVI, 3 M. Aemilius Lepidus . . iussus (est) L. Valerium, si ita videretur, pro praetore in provincia retinere. Just. X, 7 Consulentibus (Phrygibus) de fine discordiarum oracula responderunt regem discordiis opus esse. Iterato quaerentibus de persona regis, iubentur eum regem observare, quem reversi primum in templum euntem plaustro reperissent. Cic. Famil. III, 7 Eadem epistola . . peracute querebatur, quod eos (legatos) tributa exigere vetarem prius, quam ego re cognita permissem XII, 12 Scripsi etiam ad senatum literas, quas reddi vetui prius, quam tibi recitatae essent. Caes. Bel. G. II, 20 Ab opere singulisque legionibus singulos legatos Caesar discedere nisi munitis castris (= quum munita essent castra) vetuerat. Liv. XXXV, 20 Ceterum legati ad Antiochum missi expectabantur et prius, quam ii redissent, vetuerat Cn. Domitium consulem senatus ab urbe discedere. Caes. Bel. G. VIII, 7 Caesar inveniebat . . constituisse Bellovacos, si Caesar cum tribus legionibus veniret, offerre se ad dimicandum; si maiores copias adduceret, in eo loco permanere, quem delegissent. V, 24 Ipse (Caesar) interea, quoad legiones collocatas et munita hiberna cognovisset, in Gallia morari constituit. VII, 20 Hi (servi) dicunt . . ; itaque statuisset imperatorem, si nihil in oppugnatione oppidi profecisset, triduo exercitum deducere. VII, 36 De deditione non prius agendum (esse) constituit, quam rem frumentariam expedisset. Muret. Epist. I, 40 De his tuam sententiam exquirere decreveram, ubi redisses. Caes. Bell. G. III, 24 Illi, si propter inopiam rei frumentariae Romani sese recipere coepissent, impeditos in agmine et sub sarcinis adoriri cogitabant. Cic. de Off. II, 8 Nostri autem magistratus imperatoresque ex hac una re maxima laudem capere studebant, si provincias, si socios aequitate et fide defendissent. Sall. Cat. 27 Postremo (Catilina) intempesta nocte coniurationis principes convocat per M. P. Laecam ibique docet . . se ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset. Cic. ad Fam. VI, 1 C. Trebatius ad me scripsit hoc tempore velle te mecum, si propius accessissem, de officio utriusque nostrum communicare. Caes. Bel. G. IV, 16 Caesar suis quoque rebus eos (Germanos) timere voluit, cum intellexerent et posse et audere populi Romani exercitum Rhenum transire. Cic. Philp. IX, 1 Etenim cui legatio ipsa morti fuisset, eius monumentum exstare voluerunt (maiores nostri), ut in bellis periculosis obirent homines legationis munus audacius. pro Mil. 10 Dum hic veniret, locum relinquere noluit. Caes. Bel. G. VIII, 15 Barbari, confisi loci natura, cum dimicare non recusarent, si forte Romani subire collem conarentur paulatimque copias distributas dimittere non auderent, ne dispersi perturbarentur, in acie permanserunt. Cic. Philp. IX, 1 Servius Sulpicius non recusavit quominus vel extremo spiritu, si quam opem reipublicae ferre posset, experiretur (= non recusavit experiri). ad Fam. XVI, 12 In eum locum deducta est (salus mea et bonorum omnium), ut, nisi quis deus vel casus aliquis subveniret, salvi esse nequeamus. de Legg. I, 4 Ego arbi-

trabar posse id populo nostro probari, si te ad ius respondendum dedisses. de Off. II, 1 Existimavi honestissime molestias deponi posse, si me ad philosophiam retulisses. I, 21 Alteri se id adipisci posse arbitrantur, si opes magnas haberent. pro Leg. Man. 6 Putatisne vos illis rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructuosi sunt, conservaveritis non solum calamitate, sed etiam calamitatis formidine liberatos? ad Fam. II, 6 Huic te unum tanto adiumento esse, si volueris, posse intellego. III, 6 Cum ille mihi respondisset nihil me tibi gratius facere posse, quam si ad Sidam navigassem; etsi minus dignitatis habebat ille adventus, tamen ita me dixi facturum. Caes. Bel. G. II, 5 Ipse (Caesar) Divitiacum cohortatus docet, quantopere reipublicae communisque salutis intersit manus hostium destineri; id fieri posse, si suas copias Aedui in fines Bellovacorum introduxerint et eorum agros populari coeperint. II, 6 Nuntios ad eum mittit, nisi subsidium sibi submittatur, sese diutius sustinere non posse. I, 3 Hac oratione adducti (Casticus et Dumnorix) inter se fidem et iusiurandum dant et regno occupato (= cum regnum occupaverint) per tres potentissimos populos totius Galliae sese potiri posse sperant. I, 40 Caesar convocato consilio vehementer eos (centuriones) incusavit. . . Si quos adversum proelium et fuga Gallorum commoveret, hos, si quaerent, reperire posse Ariovistum. . . magis ratione et consilio quam virtute vicisse. IV, 8 Caesar respondit sibi nullam cum his amicitiam esse posse, si in Gallia remanerent. VII, 66 Vercingetorix convocatis ad concilium praefectis equitum demonstrat fugere in provinciam Romanos Galliae excedere. . . Si pedites suis auxilium ferant atque in eo morentur, iter confici non posse; si relictis impedimentis suae saluti consulant, et usu rerum necessariorum et dignitate spoliatum iri. VIII, 10 Huius munitionis duplex erat consilium: namque et operum magnitudinem et timorem suum sperabat fiduciam barbaris allaturum et, cum pabulatum frumentatumque longius esset proficiscendum, parvis copiis castra munitione ipsa videbat posse defendi. Nep. XXV, 8 Excogitatum est a quibusdam, ut privatum aerarium Caesaris interfecto ab equitibus Romanis constitueretur; id facile effici posse arbitrati sunt, si principes eius ordinis pecunias contulissent. Liv. XXIII, 25 De exercitu Marcelli, qui eorum ex fuga Cannensi essent, in Siciliam eos traduci atque ibi militare, donec in Italia bellum esset, placuit. ibd. Duae legiones urbanae alteri consuli, qui in locum L. Postumii suffectus esset, decretae sunt eumque, cum primum salvis auspiciis posset, creari placuit. Cic. ad Fam. XII, 15 Quam indignitatem idcirco tulimus, quod interceptis literis cognoramus Dolabellam, si desperasset de Syria Aegyptoque, in naves conscendere esse paratum Italiamque petere. Liv. XXXV, 20 Consulibus ambobus Italia provincia decreta est, ita ut inter se compararent sortirentur, uter comitiis eius anni praeesset. Ad utrum ea non pertineret cura, ut paratus esset (scil. ducere, proficisci), si quo eum extra Italiam opus esset ducere legiones.

Similis ratio obtinet apud Graecos scriptores. Sic legimus apud Xenoph. in Cyrop. VI, 2 *Κάν ἄλλον δέη, μεταπέμπον ἐπέσιλται δὲ τοῖς παρ' ἐμοῦ ποιεῖν, ὅτι ἂν σὺ κελύεις.* Plat. Phaed. 3 *Καὶ ἤγομεν καὶ ἡμῶν ἐξελεθὼν ὁ θυρωρός, ὅσπερ εἰσῆκει ὑπακούειν, εἶπεν ἐπιμένειν καὶ μὴ πρότερον παρῆναι, ἕως ἂν αὐτὸς κελύει.* 5 *Ταῦτα οὖν, ὦ Κλέβης, Εὐνήν φράζε καὶ ἐρῶσθαι καὶ, ἂν σωφρονῆ, ἐμὲ διώκειν ὡς τάχιστα.* 4 *Εἰ οὖν τί σοι μέλει τῶν ἔχειν ἐμὲ Εὐνήν ἀποκρίνασθαι, ὅταν με αὐτὸς ἐρωτῆ,*

τί γὰρ με λέγειν. Herod. VI, 34 Ἡ δὲ Πυθίη σφι (τοῖς Δολόχοις) ἀνεῖλε οἰαστὴν ἐπάγεσθαι ἐπὶ τὴν χώραν τούτων, ὅς ἂν σφας ἀπιόντας ἐκ τοῦ ἱεροῦ πρώτος ἐπὶ ξείνια καλέσῃ. VIII, 4 Οἱ Εὐβοεὲς ἐδέοντο Εὐρυβιάδῃ προσμείναι χρόνον ὀλίγον, ἔστ' ἂν αὐτοὶ τένα τε καὶ τοὺς οἰκέτας ὑπεκδέονται. Thuc. I, 58 Καὶ Περδίκκας τούτοις τῆς ἐναντοῦ γῆς (scil. τι) ἔδωκε νέμεσθαι, ἕως ἂν ὁ πρὸς Ἀθηναίους πόλεμος ᾗ.

7. Nihil significationis interest inter verba, de quibus supra scripsimus, et verba putandi, ducendi, arbitrandi aliaque huius generis, quae qui legunt adiuncto accusativo cum infinitivo, interdum cogitatione et mente ad res futuras feruntur. Eiusmodi loci sunt apud Cic. pro Lig. 3 Qui mihi tum denique se salutem putavit dare, si eam nullis spoliata ornamentis dedisset. Nep. I, 5 Datis . . . fretus numero copiarum suarum configere cupiebat eoque magis quod, priusquam Lacedaemonii subsidio venirent, dimicare utile (esse, fore) arbitrabatur. XVII, 4 Agesilaus opulentissimo regno praeposuit bonam existimationem multoque gloriosius (maiore gloriae esse, fore) duxit, si institutis patriae paruisset, quam si bello superasset Asiam. XVIII, 6 His rebus Eumenes permotus sapientius (maioris sapientiae documento esse, fore) duxit, si ita tulisset fortuna, perire bene meritis referentem gratiam, quam ingratum vivere.

8. Neque diversa vis ac potestas subiecta est his verbis: necesse est, oportet, licet, fas est, nefas est, quorum sensum explet additus infinitivus aut coniunctivus modus. Quibus quatuor verbis scriptores cum utuntur, de iis cogitant rebus, quae postero tempore eventurae sint, id quod iam Herzogius aliqua ex parte recte mihi intellexisse videtur, cum ad Caes. Bell. G. VII, 14 de voce necessario haec adscripsit: Der Satz ist allgemein und enthält indirekt einen Schluss auf die Zukunft: was jetzt geschehe, werde und müsse auch ferner geschehen. Denkt man sich die Sache, wie sie dem Verstande vorschwebte, so umfasst in solchen Stellen das Präsens dreierlei: a) die Gegenwart, b) die Vergangenheit, auf die mein Urtheil sich gründet, c) die daraus sich entwickelnde Hypothesis: etiam in posterum idem factum iri. Quod Herzogius de voce „necessario“ recte et acute monuit, idem non modo de verbo necesse est, sed etiam de aliis, quae hoc capite et proximo commemoravimus, optimo iure dici potest. Ex eo genere sunt hi loci. Caes. Bell. G. VII, 14 Haec si gravia aut acerba videantur, multo illa gravius aestimare debere liberos, coniuges in servitatem abstrahi, ipsos interfici, quae sit necesse accidere victis (= si victi sint). I, 50 Cum ex captivis quaereret Caesar, quam ob rem Ariovistus proelio non decertaret, hanc reperiebat causam, quod apud Germanos ea consuetudo esset, ut matres familiae eorum sortibus et vaticinationibus declararent, utrum proelium committi ex usu esset necne; eas ita dicere non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam proelio contendissent. I, 4 Helvetii moribus suis Orgetorigem ex vinculis causam dicere coegerunt; damnatum (= si damnatus esset) poenam sequi oportebat, ut igni cremaretur. Nep. IX, 3 Necesse est eum, si in conspectum veneris, venerari te regem. Memini me plures locos eiusmodi legere, sed omnino eos non notasse videor, aut oblitus esse, ubi notaverim. In his vero enuntiationibus, quas memoriae causa retuli in libellum, sententiae secundariae videntur indicativum futuri exacti continere, veluti Cic. ad Fam. XII, 13 Nisi quid navibus Laodiceorum supportarit, cito fame pereat necesse est. de Divin. II, 9 Ita, quoquo

se verterint Stoici, iaceant necesse est omnis eorum solertia. de Off. II, 29 Ludo autem et ioco uti illo quidem licet, sed, sicut somno et quietibus ceteris, tum cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. Simili constructione Graecorum scriptores usos esse videmus ex Xenoph. Anab. III, 2, 6 ἡμᾶς δὲ δεῖ μαχομένους ὡς ἂν δυνώμεθα κράτιστα, τοῦτο, ὃ τι ἂν δοκῇ τοῖς θεοῖς, πάσχειν. Cyrop. VIII, 7 ἡμᾶς δὲ χρὴ, ὅταν τελευτήσω, ὡς περὶ εὐδαιμόνος ἐμοῦ καὶ λέγειν καὶ πράττειν πάντα. Herod. IX, 98 Ἐπεὶν συμμίσγωμεν, μεμνήσθαι τινα χρὴ ἐλευθερίας μὲν πάντων πρώτον, μετὰ δὲ τοῦ συνθήματος Ἡβης.

9. Denique in numero formarum, quarum genera hac disputatione recensere constituimus, ponendae sunt hae dictiones: facilem esse rem, nihil negotii esse, nullam esse conditionem, servare ad usum. Legimus enim apud Caes. Bell. G. V, 31 Consurgitur ex consilio, comprehendunt utrumque (Titurium Sabinum et Cottam) et orant, ne sua dissensione et pertinacia rem in summum periculum deducant; facilem esse rem, seu maneat seu proficiscantur, si modo unum omnes sentiant ac probent, contra in dissensione nullam se salutem perspicere. II, 17 Quidam ex his (Gallis) nocte ad Nervios pervenerunt atque iis demonstrarunt inter singulas legiones impedimentorum magnum numerum intercedere neque esse quidquam negotii, cum prima legio in castra venisset reliquaeque legiones magnum spatium abessent, hanc sub sarcinis adoriri. Bell. Civ. 66 Qui prior has angustias occupaverit, ab hoc hostem prohiberi nihil negotii esse. Bell. G. II, 32 Caesar respondit . . . deditiois nullam esse conditionem nisi armis traditis (= nisi arma tradita essent). Cic. Brut. 16 Et hercules hae (mortuorum laudationes) exstant; ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant et ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam.

Haec habui de re proposita quae scriberem. Quae cum ponerem sub uno conspectu, id maxime agebam, ut superiorum ordinum discipuli legem, quae non mediocres difficultates creare soleret, non modo accuratius intellegerent et penitus animis suis mentibusque mandarent, sed etiam in scribendis speciminibus maiorem exemplorum copiam ad manum haberent faciliusque adhiberent.